et prophetabat dicenſ. Vide quam bonuſ deuſ et faciliſ indulgere peccatiſ. Non ſolum ablata reſtituit, ſed etiam ſperata concedit. Ille dudum mutuſ prophetat, haec enim gratia dei maxima, quod eum qui negaverant confitentur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conſciuſ delictorum praemia divina deſperet. Novit dominuſ mutare ſententiam, ſi tu noveriſ emendare delictum. Et tu puer propheta altiſſimi vocaberiſ. Pulchre cum de domino prophetaret ad prophetam ſua verba convertit, ut hoc quoque beneficium eſſe domini deſignaret, ne cum publice enumeraret ſua quaſi ingratuſ tacuiſſe quae acceperat beneficia videretur, quae agnoſcebat in filio. Sed fortaſſe aliqui quaſi irrationabile nimiſ exceſſum putent, quod octo dierum alloquitur infantem. Verum ſi teneamuſ, intellegimuſ profecto quod potuit vocem patriſ natuſ audire, qui Mariae ſalutationem antequam naſceretur audivit. Sciebat propheta aliaſ eſſe aureſ prophetae, quae ſpiritu dei non corporiſ aetate reſerantur. Habebat intellegendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum. Simul illud adverte, quam pauciſ Eliſabeth, quam multiſ Zachariaſ prophetet. Et utique ſancto repletuſ ſpiritu loquebatur, ſed diſciplina ſervatur, ut mulier diſcere magiſ quae divina ſunt ſtudeat quam docere. Nec facile ullam prophetaſſe uberiuſ quam matrem domini reperimuſ. Propheteſſa Maria ſoror Aaron, quae cito cantici verba concluſit, eademque ubi prolixiuſ eſt locuta cum fratre, nequaquam ſui poenam ſermoniſ evaſit.

De ortu domini ſalvatoriſ. .V.

FACTUM eſt autem in diebuſ illiſ, exiit edictum a caeſare auguſto ut cenſum profiteretur univerſuſ orbiſ terrae. De ortu ſalvatoriſ dicturi non putamuſ alienum ut quo natuſ ſit tempore requiramuſ. Quid enim profeſſio ſaecularium ad generationem domini pertineret, niſi ut advertamuſ hoc quoque divinum eſſe myſterium, quod domini profeſſio ſaeculariſ obtenditur, ſpiritaliſ impletur. Non terrarum re-